Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Breuiarium in psalterio - Cod. Aug. perg. 26

Hieronymus, Sophronius Eusebius

[Reichenau ?], [9. Jahrh.]

"Incipit breviarium sancti Hieronimi presbiter in psalterio; proxime cum origenis psaleterium"

urn:nbn:de:bsz:31-72799

Visual Library

# INCIPIT BREVIARIUM SANCTI HIERONIMI PRESBITERI IN PSALTERIO :

PROXIME cum Origenis psalterium quod enchiridion ille vocabat strictis et necessariis interpretationibus adnotatum in commune legerimus: simul uterque deprehendimus nonnulla eum vel perstrinxisse leviter vel intacta penitus reliquisse. De quibus in alio opere latissime disputavit: quos scilicet non putavit rem magnam brevi sermone concludere. Igitur pro familiaritate quae inter nos est studiose et sedule postulasti ea quae cumque mihi digna memoria videbantur signis quibusdam potius quam interpretationibus adnotarem. Et quod solent hi facere qui in brevi tabella terrarum et urbium situs pingunt et latissimas regiones in modico spatio conantur ostendere. Ita in praeterito opere latissimo quasi praeteriens aliqua perstringerem, ut ex paucis quae tetigissem intellegant et cetera quae omissa sunt: quamquam habeant et quaestionem. Nec enim potentem a me posse dici quae ille praeterit, sed quod ea quae in tomis vel homeliis ipse disseruit vel ego dignum arbitror sui lectione in hunc angustum commentariolum referam.

Psalterium graecum est et latine organum dicitur, quod hebraei nablam vocant. Psalmus dicitur eo quod a psalterio nomen acceperit vel pro psallendo. Quamvis David omnes psalmos cantasset, tamen omnes psalmi in personam Christi pertinent. Et qui praetitulati esse non videntur apud hebraeos per se uno psalmo habentur. Nam per titulum intellegitur uniuscuiusque psalmi intellectus. Quid est titulus nisi clavis et ita dixerim. In domum non ingreditur nisi per clavem. Ita et uniuscuiusque psalmi intellectus per clavem hoc est per titulum intellegitur. In cuius persona cantatur aut in persona Christi aut in persona ecclesiae aut in persona prophetae.

BEATUS VIR QUI NON ABIIT IN CONSILIO IMPIORUM. Quidam dicunt hunc psalmum quasi praefatione esse spiritus sancti et ideo titulum non habere. Alii vero quod primus sit ordine psalmorum habere principium et pleonasmorum esse initium, cum primum dicere ante quem nullus sit. Aliter apud hebraeos et primus et secundus in deinceps est psalmus, quod in apostolorum quoque actibus comprobatur. Denique quia a beatitudine coeperat in beatitudine desinit dicens beati omnes qui confidunt in eum. Aliter Beatus qui non cogitavit ... Aliter beatus qui non est ... Aliter ... in libris de spiritalibus ... hunc psalmum et de Ioseph posse intellegi qui corpus domini sepelivit ... qui